

**De lactuca virosa et scariola : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Henricus Hirschfeld.**

Contributors

Hirschfeld, Heinrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1833.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m8mzdyd6>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
**LACTUCA VIROSA
ET SCARIOLÀ.**

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA**
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
F R I D E R I C A G U I L E L M A
PRO SUMMIS
N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE I. M. MARTII A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
HENRICUS HIRSCHFELD.
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

S. ELIASON, MED. ET CHIR. DR.
J. LOBETHAL, MED. ET CHIR. DR.
M. HEINERSDORFF, JUR. UTR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

O, mickle is the powerful grace, that lies
In herbs, plants, stones, and their true qualities;
For nought so vile, that on the earth doth live,
But to the earth some special good doth give;
Nor aught so good, but, strain'd from that fair use,
Revols from true birth, stumbling on abuse:
Virtue itself turns vice, being misapplied;
And vice sometimes by action dignified.
Within the infant rind of this small flower
Poison hath residence, and med'cine power;
For this, being smelt, with that part cheers each part;
Being tasted, slays all senses with the heart
Two such opposed foes encamp them still
In man as well as herbs, grace and rude will;
And, where the worser is predominant,
Full soon the canker death eats up that plant.

Shakespeare, Romeo and Juliet Act. II. Sc. III.

V I R O
ILLUSTRISSIMO
EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO
AEMILIO OSANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO IN HAC UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA
NEC NON IN ACADEMIA MILITARI MEDICO - CHIRURGICA;
INSTITUTI REGII POLICLINICI CONDIRECTORI; MEDICO PRAC-
TICO APUD BEROLINENSES FELICISSIMO, COMPLURUM SO-
CIETATUM LITERARUM SODALI; EQUITI ORDINIS DE AQUI-
LA RUBRA IN TERTIA CLASSE

H. T. DECANO

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

NEC NON

VIRO
AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO
E. B E E R,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO
APUD GLOGAVIENSES MERITISSIMO,
FAUTORI SUMME COLENDΟ,

SUMMA QUA PAR EST REVERENTIA
H A S C E
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

I. HISTORIA NATURALIS.

LACTUCA, Λειδας **Dioscor.** Λειδας s. Λειδαχινη **Theo-**
phr. et **Galeni** — **Gallice:** laitue — **Anglice:** lettuce. — **Italice:** lattuca — **Hispanice:** lectuga — **Danice:** laktuk — **Polonice:** loczyga — **Germanice:** Lattich, Salat.

Planta est classis Syngenesiae, ordinis Polygamiae aequalis L.; secundum systema naturale familiae Semiflosculosarum Tournef.; Ligulatarum Pontederae; Planipetalarum Raji; Synantherarum Rich., trib. Cichoracearum Juss. et Vaillant; Lactucearum Cass.

Character genericus ab auctoribus ita statuitur: Receptaculum nudum. Calyx imbricatus, cylindricus, margine membranaceo. Pappus simplex, stipitatus.

Nomen gerit a lacteo quem planta vulnerata fundit succo. Nonnulli ab ejus lac mulierum lactantium augendi vi derivant; quae vero quum admodum dubia sit, illa etymologia praferenda videtur.

Lactucae species in officinas receptae in sativas discedunt et sylvestres, quarum has et suspectarum vel narcoticarum nomine vocatas hic tractare mihi proposui.

I. **LACTUCA VIROSA** foliis aversis oblongo-lanceolatis denticulatis basi sagittatis carina aculeatis, infimis sinuatis.

Lactuca sinuata Forsk.

Giftiger, stinkender, starkriechender, wilder Salat, Sausalat; — giftiger, stinkender, wilder Lattich, Giftlattich, Leberdistel.

**Hayne, I. 47. — Ic. pl. offic. Dusseld. sect. IV.
t. 22. Schk. 207.**

**Radix biennis, caudicalis, subperpendicularis,
fibrillas plurimas exserens.**

Caulis erectus, teres; primum solidus, tum fistulosus, ramosus, paniculatus; inferne rubellus, aculeis subulatis obsitus; superne ex albido virens, inermis; aequo ac tota planta succo albido lacteo scatens; bipedalis et altior.

**Folia alterna sessilia, amplexicaulia, aversa;
denticulata, carinata, carina aculeata; inferiora oblongo-lanceolata, sinuata, subundulata, basi sagittata;
superiora integra, sagittato-lanceolata.**

Flores compositi, paniculati — Calyx perianthium cylindraceum, squamulis imbricatis, membranaceis — Corolla: composita imbricata, uniformis, corollulis multis aequalibus; corollulae hermaphroditae, monopetalae, ligulatae, truncatae, quinquedentatae —

Stamina: Filamenta quinque capillaria, brevissima, antheris in tubum cylindraceum connatis.
Pistillum: germen ovatum; stylus filiformis, staminibus aliquantulum longior, eminentibus duobus stigmatibus reflexis.

Pericarpium: Achen a solitaria, oblonga, simplex, compressa, acuminata, striata. **Pappus** plumosus, stipitatus. — **Semen achenae cavitati respondens** — **Receptaculum nudum.**

In Europae, praesertim terris meridionalibus, in Germaniae locis montosis, ruderatis; ad muros, sepes, aggeres. Floret Julio et Augusto mensibus.

II. LACTUCA SCARIOLA. Lactuca sylvestris Lamarck. wilder Salat, Sausalat, Ackersalat; wilder Lattich, Waldlattieh, Zaunlattich, Feldlattich, Scariol.

Hayne, I. 46.

priori ceterum simillima, hoc charactere specifico significatur:

Folia verticalia carina aculeata, apice acuta, basi sagittata runcinato-pinnatifida.

In Europa septentrionali frequens.

Genus Lactucae veteribus jam innotuisse, eorum scripta multis locis testantur. At nihil spinosius est, quam plantarum species in prisca historia naturali omnino nonnisi strictius et levius consignatas, certae recentiorum auctorum speciei adaptare, nihil haesitantius, ita ut multi jam naturae scrutatores, antiquarum simul linguarum peritissimi, frustraneam huic negotio operam navarint. Quod maximam par-

tem et in Lactucas supra allatas cadit, de quibus et inter nostros phytologos tam ambiguae exstant opiniones, ut alii, quorum sententiam et nos secuti sumus, eas diversas species, alii alteram alterius tantum varietatem accipiendam esse malint.

Theophrastus *), intelligens et scitus rerum naturae indagator, de planta nostra reliquit delineationem, quae, quod maxime dolendum est, in textu perquam corrupto quasi latet aperte. Duobus ille Lactucam significat nominibus, ita quidem, ut ejus Σείδαξ ad sativam et sylvestrem, Σειδακίνη ad hanc tantum referenda esse videatur, — discriminis vero inter scariolam et virosam plane ignarus. Quae enim de sylvestri tradit utrique communia sunt. — Caulem Lactucae hoc modo tangit **): »In quibusdam, ubi caulis enatus est, folia adnasci consentaneum est, ut lactucae, ocimi, apii et frumentorum. Horum nonnulla caulem primo laevem, postea vero horridulum et quasi spinosum gerunt, ut lactuca (Σειδακίνη) et plantae spinosae omnes etc.; » ubi Gaza simpliciter Lactucam interpretatus est, quod vero Sprengelius ad virosam referri vult. Alio loco **), quo de humore aquoso Lactucae ita disserit: „ὑγρότης ὑδαρώδης καὶ τῶν λαχανωδῶν δὲ, οἷον, σικύου κολοκύντης, Σειδακίνης.“ eadem intelligi videtur, quanquam inter

*) Theophrasti opera omnia ed. C. Theophil. Schneider. Lips. 1806.

**) Theophr. hist. nat. I. 10. 7.

***) ib. I. 12, 2.

olera est enumerata; nam domesticae (δριδακος) caules ὄκωδεις και πικρους tradit *). — De radice haec affert **): »Brevi radice haec constant: lactuca, portulaca, brevitatem dico et rectae et lateralium. Lactuca vero lateralibus caret, sed tenues tantum fibras habet, quamobrem maxime simplici radice niti videtur.» Et infra: »Lactuca translata radice breviore quam sata est; illa enim ex lateribus magis germinat, brevior etiam sylvestris quam domestica, et superne plures in caules spargitur.» — Semen lanuginem gerens describit ***) (πακκοσπέρματον). — Quid L. sylvestris a sativa differat, egregius hic locus exhibet †): τὸ δὲ φύλλον βραχύτερον τῆς ἡμέρου και τελειούμενον ἀκανθοῦται, και τὸν καύλον ὅμοιος.

Succum acrem dicit et medicamentosum (δρυμὺν και φαρμακώδη). — Quae verba, etsi nec virosae, nec scariolae characterem specificum illustrent, illi tamen, in australibus regionibus frequentiori, magis consentanea duco. —

Dioscorides ††) duarum Lactucae specierum mentionem injicit, sativae et sylvestris (δριδαξ ἡμέρος και ἄγρια). Cujus sat dilucidam descriptionem hisce verbis comprehendit: η δὲ ἄγρια δριδαξ εἰκε τῇ ἡμέρᾳ καυλοδέστερα δὲ και τοῖς φύλλοις λευκότερα και ἵσ-

*) Theophr. hist. nat. VII. 2. 4.

**) ib. VII. 2. 9.

***) ib. VII. 3. 2,

†) ib. VII. 6. 2.

††) Dioscoridis, opera ed. et latine vertit C. Sprengel. Lips. 1827. lib. II. c. 266.

χνοτερα και τραχυτερα μπαρχούσα, πικρα δε πρὸς τὴν γένουσιν. Ομοιῶται δὲ κατὰ πᾶσαν τὴν δύναμιν μῆκωντι ὅδεν και τὸν ὅπον αὐτῆς ἔνιον μισγοῦσι τῷ μηκωνείῳ etc. His multi, sed perperam, ut existimo, scariola m designari volunt. Contra amplius folium, caulis elatus, et laticis cum Meconio, cui miscebatur, affinitas non obscure innunt, illa ad virosam potius spectare, quacum jam junxerunt Lobelius *) et Dalechampius **).

Plinius maximam partem Theophrastum et Dioscoridem secutus trifariam affert Lactucae specierum divisionem. Quarum prima ad Theophrasteam illam in laticaulem, rotundicaulem et sessilem plane quadrat. Secunda a colore satusque tempore desumpta. Tertia denique, vires plantae respiciens, speciem continet ad Lactucam virosam proxime accendentem. De qua hoc fere tenore loquitur ***): »Pessimum autem genus cum exprobatione amaritudinis appellavere picrida. Est etiamnum alia distinctio atrae, quae meconis vocatur, a copia lactis soporiferi, quanquam omnes somnum parere creduntur. Apud antiquos Italiae hoc solum genus earum fuit, et ideo lactucae nomen adeptae.» — Huc etiam pertinere videtur aliis locus †): »Lactucae sponte nascentis primum est genus ejus, quam caprinam vocant, qua pi-

*) Lobelii, Adversaria p. 89.

**) Historia generalis plantarum t. II. p. 74. Lugd. 1587.

***) Plinii secundi hist. natur. libri XXXVII. ex recensione Joannis Harduini, Biponti 1783. L. XIX. c. 38

†) ib. XX. 24.

sces in mare dejecta protinus necantur, qui sunt in promptu. » — Et infra*) characteres specierum sylvestrium notans: »Communia autem sponte nascentibus candor, caulis interdum cubitali longitudine et ipso et foliis scabritia. Succus omnibus candidus viribus quoque papaveri similis. »

Hactenus Veterum Lactucae sylvestris adumbrationes memoratu dignae. Quae enim Columella, Galenus, et post illos Aëtius, Oribasius, Paulus Aegineta medicique Arabes tradiderunt, a prioribus vix abhorrent, ita ut tibi facile in animum inducas, eos Lactucam scariolam vel prorsus ignorasse, vel cum virosa confundentes utrique idem sylvestris nomen indidisse. Inde a seculo demum decimo sexto a phytologis diversae Lactucae sylvestris species distinctius describi coepiae sunt.

Dodonaei, Fuchsii et Matthioli**) Lactuca sylvestris strictius quidem delineata, figuris tamen expressis illustratur, ut facile L. virosa cognoscatur, nisi quod folia plus justo sint conferta nec non inferiora integra desiderentur, quae vero forsitan in planta adulta vix jam adsunt.

Dalechampius***) Lactucae sylvestris verae nomine scariolam nostram accuratissime hoc modo depingit: »Radice est digitii minimi crassitudine, candida, fere semper contorta, paucis fibris capillata, succi lactei plena. Folia circa radicem, antequam in

*) ib. XX. 26.

**) Hist. gen. plant. t. II, p. 76.

***) ib. p. 77.

caulem assurgat, humi jacent, Lactucae similia, in ambitu crenata, sed non sinuosa, dorso aculeato.» — »Folia caulina bifida in summo tripartita, figura nonnihil ad triphyllum accedente. Flos est luteus Lactucae. Totius plantae sapor insigniter amarus est.»

C. Bauhinus *) inter species sylvestres duas dignoscit, alteram costa spinosa (*L. scariola*) quam, perperam quidem, Theophrasti, Dioscoridis et Plinii sylvestrem dicit — alteram odore viroso (*L. virosa*).

Jam ad Linnaeum gradum faciam. Tantum vero abest, ut huic rei tenebris circumfusae lucem affunderet, ut novas potius difficultate sadderet, *L. virosam* et *scariolam* statuendo quidem, sed non apte inter eas distinguendo. Illius enim specificum characterem quum in foliis adversis s. horizontalibus, hujus vero in aversis s. verticalibus poneret, principiis philosophiae suae botanicae, quod valde mirandum est, parum constantem se praestitit, in qua vocularum illarum singulam quamque certa definiens notione characterem specificum a foliorum directione desumendum esse omnino negat.

Alb. de Haller **) Lactucam foliis semipinnatis nervo spinoso et foliis ovatis patulis nervo spinoso *L. scariolae* et *virosae* respondentes, amplius descri-

*) C. Bauhini, Pinax theatri botanici. Basil. 1623.
pag. 124.

**) Alb. de Haller, hist. stirpium indigenarum Helvetiae. T. II. p. 7.

bit, veritus tamen, ut satis diversae sint. Eidem sententiae **Gerardus** *) insigniter favet. Quibus vero repugnat illud a **Kochio Gnadoviensi** **) observatum. Lactucae enim scariolae jam per duodecim annos in horto suo propagatae quum virosam intersevisset, utramque simul laete vigentem ac in typo suo permanentem vidi, et ne semel quidem evenit, ut alterius folium alterius formam indueret.

Utra Lactucae specie usus sit **Collinus**, proximi saeculi exeuntis medicus Vindobonensis, qui primus plantam nostram ab oblivione haud merita vindicavit, parum exploratum habemus. Ille enim vir libello cuidam de **Lactucae sylvestris** viribus conscripto ***) tabulam adjecit, quae plantam exhibit **Lactucae virosae** nomine designatam. **Murray** †) et **Winterl** ‡) depictam quidem plantam pro **L. virosa** accipiunt, adhibitam vero fuisse a **Collino** **L. scariolam** putant. A quibus dissentit **Hahnemann** ‡‡) virtutes therapeuticas a **Collino** allatas ad **L. viro-**

**) ib. p. 8.

*) Hayne, Beschreibung u. Abbildgn. der Arzneipflanzen. T. I. p. 47.

**) Henrici Josephi Collini, Lactucae sylvestris contra hydropem vires s. Observationes circa morbos acutos et chronicos factarum pars VI. Vindob. 1780. p. IX.

***) J. A. Murray, Apparatus medicaminum. Vol. VI. Gött. 1792. p. 13.

†) Winterl, Index horti botanici Pest. 1788.

‡) Hahnemann, Apothekerlexicon. I. p. 360.

sam referens. Ac mihi quidem tabulam istam accuratius insipienti folia runcinato-pinnatifida, quae **Collinus sinuato-laciniata** describit, tam manifesta apparuerunt, ut **L. scariolam** tam depictam, quam in usum vocatam esse mihi persuasum sit. Nec est, quod **L. scariolae**, quam vulgo nec immerito quidem quoad vires alteri speciei inferiorem esse dicunt, virtutibus medicis, morborum historiis adjectis luculentissime comprobatis, sententia nostra frangatur, si id tantum respiciatur, largissima drachmarum duarum triumve per diem dosi illas effectas esse, quum parem **L. virosae** dosin vix impune aegroto propinare licuisset. Ceterum denique ipse **Collinus** in plantae specie definienda parum sibi consensisse videtur, quum in synonymis afferendis **L. sylvestrem** odore viroso Bauhini cum **L. foliis semipinnatis Halleri** et **scariola Linn.** comparans, narcotico praecipue odore se commotum pro virosa eam habuisse ingenue fateatur.

Postea quoque ad nostros usque dies harum specierum accuratior distinctio justo plus neglecta est, ac summo quidem medicinae practicae damno. Nam **Lactuca scariola** loco virosae adhibita quum saepe medicorum exspectationem falleret, hujus quoque famae macula quaedam adspersa est.

II. DE EXTRACTO LACTUCAE VIROSAE ET SCARIOLAE.

Hoc vel Lactucarii nomine (quod alii vero Extracto Lactucae sativae soli vindicari volunt) significatur:

1. Succus lacteus, quo omnes utriusque speciei partes scatent, aëre, sole vel calore spissatus. (**Succus Lactucae exsiccatus Duncan**). Quem ad finem iis praecipue utuntur plantis, quae florescentes in locis arenosis et apricis crescunt. Notissimae illius elicendi methodi hae sunt:

- a) Alii caulem ad pedis circiter altitudinem evectum leviter incidi volunt.
- b) Alii plantae apicem pollicis longitudine resecati proponunt.

Succum ex ostiis vasorum lactiferorum prostilantem et planum vulneratum inducentem, gossypio spongiave recipiunt, ac vel receptum exprimunt, vel in quam postridie vertitur crustam cum exigua caulis parte sectionibus transversis absindunt. Quod eadem in planta singulis quibusque diebus repetunt.

Quae methodi jam Veteribus*) notae et recentioribus temporibus a medicis Anglorum **Coxe**, **Duncan**, **Young** al. et Francogallorum **Probart**, **François**, **Lalande** al. ad **Lactucarium** e **Lactuca sativa** parandum in usum vocatae, nunc ad nostras quoque species translatae sunt.

*) Theophr. hist. p. IX. 3, 2.

Schütz *) caulis magnam partem defoliati epidermidem cultri acuti multis punctionibus vulneravit succumque exsiccatum postridie leviter abstulit. Quo per biduum continuato, Extracti *Lactucae virosae* 56 gr. et scariolae 23 gr. obtinuit. — Ceterum plantae florere pergentes matura semina protulerunt.

Vogel **) paullo ante florescentiam vel ejus tempore multis sectionibus transversis caulem incidit, ita ut succus in vitrum emarginatum vulneri submissum deflueret. Tali modo octo dierum spatio plures Extracti *Lactucae virosae* uncias acquisivit.

Recens ejusmodi succus est albidus, latus; paulum causticus, ut levem in cute inflammationem efficiat; sapore acri-amaro; odore nauseoso-narcotico, praesertim in *L. virosa*. — Ad aërem siccatus mox flavo-fuscus, opacus, friabilis evadit: digitis tactus nigrescit. Humores attrahit ex aëre.

c) Alii, caule, cui medulla ablata est, et foliis, vel tota planta in mortario contusis succum exprimi, tum filtrari, filtratumque leni calore 28° haud excedente conspissari praescribunt.

Collinus ***) extractum suum ita paravit: Succus ex recenti planta, anthesi vicina, expressus et per nychthemerum loco frigido, ne fermentescat, servatus decantatur. Postquam ebullivit per aliquot momenta, colatur et ope albuminis ovorum et trajec-

*) Buchner Repertorium Bd. 15. St. 2, p. 273.

**) Geiger Magazin für Pharmacie Bd. 26. p. 320.

***) Collinus I. I. cf. Murray I. I.

tione per pannum laneum depuratur. Dein leni igne ad dimidium evaporatur, ab igne remotus et refrigeratus secunda vice albumine ovorum post brevem coctionem addito, per pannum trajicitur et clarior redditur; leni denique calore in extracti spissitudinem densatur. Ejusmodi extractum haud raro spiculis salinis micat. Ideo autem depuratio tam sollicite peragitur, ut particulae terreae salinas, in quibus summa vis, obvelantes, plurimam partem auferantur. — Succus tota ex planta expressus colorem praebet e viridi nigricantem, odorem magis herbaceum, quam narcoticum; saporem amarum.

2. Plerumque autem illo nomine comprehenditur spissatus succus lacteus in spiritu vini diluto solutus (**Tinctura Lactucae**) iterumque inspissatus (**Extract. succi Lactucae spirituosum Dunc.**) Huc praecipue pertinet Extractum Lactucae virosae secundum recentissimam Pharmacopoeae Borussicae editionem paratum, quod exclusis principiis omni vi destitutis, ut materia albuminosa et amylo, efficaciora tantum continet.

Succi recentis examen chemicum a Klink*) institutum haec docuit: Charta, lacca caerulea tincta, rubefacta reddebatur. Acidis et spiritu vini coagulatur. Aqua superinfusa primum lactea evadit, tum paullatim in solutionem ex rubro fuscum mutatur, sat magna parte praecipitata. Qua in solutione ferrum

*) Klink Dissertatio sistens Lactucae sativae et virosae analysin chemicam. Kiliae 1820.

muriaticum oxydatum praecipitatum deponit coloris viridescentis, ferrum sulphuricum oxydatum e rubro fusci hydrargyrum nitricum oxydatum rubicundi largissimi, cuprum sulphuricum e nigrogrisei. Kali carbonicum turbationem quidem nullam effecit, sed colorem tantummodo paullo vegetiorem reddidit. — Succi lactei extractum aquosum concentratum fulvi coloris odorem suum virosum coquendo plane amisit. Perparum albuminis coagulabatur.

Aqua supra succum destillata odorem virosum, saporem ingratum exhibuit; sed acidi cujusdam nulum vestigium prodidit.

Succus e tota planta expressus haec sub analysi chemica praebuit. Qui postquam plumbi acetici et cupri sulphurici ope praecipitatus erat, hac coniunctione aqua hydrosulphurata decomposita et ita metallis sulphuratis separatis, tum decantatus et ad crystallisationem usque evaporatus, exhibuit acidum quoddam peculiare, quod vocabat lactucicum. Hoc acidum maximam quidem cum acido oxalico similitudinem exhibens, hoc valde ab illo differt, quod in solutione ferri muriatici oxydati liquore ammonii caustici quam maxime neutralisati sat largum praecipitatum viride efficeret, ejusque in cuprum sulphuricum reactio multo esset evidenter et coloris fusci, tandem cum magnesia sal formaret difficile solutu.

Octo grammata succi lactei inspissati continebant:

partium in aqua solubilium (materiae amarae, gummi, albuminis, acidi lactucici, calciae et magnesiae lactucicæ, nitri)	4,1
cerae	0,7
resinae siccae (odoris in combustione suavis aromatici)	0,6
resinae elasticae	1,8
liquoris	0,8

Trommsdorff *) oleum foetidum ei inesse affirmat. A quonam principio Lactucae virosae vis narcotica pendeat et quaenam ejus cum scariola sit ratio, quum in illa ut narcoticum principium probetur, nondum contigerit, haec vero analysi chemica hucusque omnino careat, certi nihil proferri potest. Quo sit, ut effectus causam materia extractiva peculiari modo mutata contineri judicent. Cui sententiae id maxime favet, quod illa demum aucta simulque planta ad maturitatem proiecta, succus antea mucosus et dulcis, quo alia Lactucae species, nimurum sativa, alimentum gratissimum fit, pravam indolem acquirat. Peretti **) a gummi resina et saporem amarum, et narcoticam qualitatem derivari vult.

III. EXPERIMENTA QUAEDAM CIRCA LACTUCAE VIROSAE ET SCARIOLAE IN ANIMALIA VIM.

Priusquam vero ad ea proferenda accedamus, quae experimentis circa utramque Lactucam factis

*) Journal Bd. XVI. p. 361.

**) Vergl. Hünefeld Lehrbuch der polizeilich-gerichtlichen Chemie. Berl. 1832 p. 508.

cognita habeamus, pauca quaedam de modo ac ratione, quibus hic usi sumus, praemittere e re videtur, quum, nisi legibus, ad quas omnia infra exponenda pertineant, bene perspectis, verum judicium ferri non possit. Quodque autem venenum corporis locum quemquam seu organon, seu sistema laedere nobis persuasum est. Quodsi igitur affectionem generalem eam dicamus, in qua omnium organorum et systematum complexus via primaria actionem sequatur a norma alienam, morbum veneno productum primo localem tantum esse necesse est, quo vel organismi destructio efficiatur, vel affectione generali secundaria excitata, aut vita tollatur, aut noxio superato et crisi quadam remoto, sanus valetudinique aptus restituatur. status. Jam vero a provectis morborum, quorum fons venenum in corpus exceptum habendus est, stadiis recedamus, id tamen contendimus, in veneni virtute perpendenda primarium et localem effectum assidua diligentissimaque contemplatione et esse dignum, et inter omnes judicari. Secundaria enim symptomata licet ad ipsam artem medicam magis redundant, tamen, quando integrum veneni vim cognoscere interest, minoris sunt momenti. Huc accedit, quod in his indagandis tanta occurrat turba rerum alienarum, quas vix computes raroque investiges, ut ob has ipsas difficultates judicium nostrum, cui in perscrutandis rerum naturalium effectibus prudentiam religiosissimam servare antiquissimum habere debemus, constantia atque veritate non mediocriter deficiat, ideoque quum rarissime et benignissima tantum fortuna ab omni parte probatum

se praebat, literae majori aliquo profectu vix ornentur. Quis enim nostrum ea, quae ex ipso veneno sumto prodeunt, ab illis discernere poterit, quae ab aliis rationibus semper variis et mutabilibus ut indole, aetate, sexu, plethora, paraesthesia aliisque ejusmodi proficiscantur. Neque omittendum est, ejusmodi experimenta, quod mox ostendemus, in solis animalibus versari, nec, nisi rarissimis casibus et fortuna mire arridente, ut vel unum experimentum in hominibus fiat, contingere. Itaque eo cautius ratiocinandum erit, quo minore sollertia in ipsissimam animalium observationi nostrae propositorum naturam penetravimus. Quod vero in nostra, qualis adhuc fuit, toxicologia plane neglectum videmus. Quid demum comperimus, nisi ad summum, post quot horas veneno hausto animal mortuum sit? quomodo animam egerit quibusque angoribus cruciatum? Quod organon sanguine vacuum, quod refertum inveniatur? Quae profecto ei soli sufficient, qui de singulis observationibus casu oblati curet; scientiae vero legibus easdem cedere, minime vides. Ista enim aeternum postulat ac firmum principium, specie quidem, ut natura ipsa, mutabile, genere tamen unum idemque semper. At quanquam talis principii constituendi difficillimum est et arduum opus ut una sententia sexcentis experimentis tantum comprobetur, mortalium nemo Isidis velamen plane detrahere valet, nec mentitur fabula, cum mortem sortiri qui talia tentet, nimirum omni veritatis et sapientiae securitate amissa. Nonne igitur quemque Icari fatalis dies manet, qui, nimis ardua hominique denegata consecutatus, ad phantas-

matum aufertur domicilium; ingeniosus quidem, at nihil veram promovens scientiam.

Quare ut experimenta venenis ad artis doctrinaeque modum instituamus, necessarium nobis videtur, viam persequi hanc:

I. Animalis, de quo pericula facturi simus, naturam quam accuratissime cognoscamus, quod ita assequimur:

1. Classis, ad quam nostrum pertineat, proprietates perscrutemur et praesertim eas, quae ad rem nostram spectant, quocirca ad corporis systemata et reagendi facultatem animum advertamus.

2. Animalis ipsius singularem conditionem et habitum, quantopere possimus, exquirere conemur.

Quod circa antequam ad experimenta aggreditur, per aliquot dies animal observes oportet, ejusque mores tibi innotescant. Neque aetatem, morbos, quibus prius animal laborasset, partus etc. latere fas esse, neminem fugit.

II. Venenum quam purissimum ab animali sumatur et ita instruatur, ut diutissime cum viribus humoribusque simplicibus et organicis pugnet. Ideo praecepta observes haec:

1. Utaris semper praeparatis, qualia purissima inveniuntur vel proferuntur. Quamobrem plantas, quarum vis in animalium fabricam exploranda est, recentes adhibendas esse existimo. Quanquam autem eodem modo cum Lactuca agere in animo erat, tamen quum floris tempus praef-

terlapsum esset, succum plane purum et, ut infra describam, conspissatum adhibui.

2. Praebeas animali pridie paullum et quatuor vel quinque horis, antequam venenum offers, nihil alimenti. Qua re certus sis, quin venenum ventriculi contentis aliis secernatur.

3. Bibat aquam destillatam.

III. Venenum celerrime et rite infundatur.

Ad veneni vero effectus comperiendos et vivi animalis inservit observatio et mortui sectio. Utraque summi est momenti et sese invicem explet. Ne tamen hic inter symptomata primaria et secundaria differentiam negligas.

Mortem semper adduci secundariis symptomatis mihi persuasum habeo, neque acidum borussicum, quod venenum maxime praesentaneum extemplo necat, excipio. Ubi enim antidotus existit, effectus secundarii ope vita servari posse debet. Neque Ammonium causticum hoc non praestare adversus illud acidum, satis probarunt exempla, quae de felibus instiuebant. Nihilominus effectus primarii majoris sunt momenti et, quoniam integerrimi sunt, certissimi. Itaque eorum observationem magni me non sine jure meo aestimare puto, quin etiam, ut eorum cognitione toxicologia optime fundetur fore spero. Triplici vero modo illi explorari possunt:

1. Symptomatisbus, quae vivum animal profert.
De quibus mox infra.

2. Sectione animalium eorum, quae duobus, vel tribus et pluribus, secundum veneni diversitatem, ho-

ris, interdum etiam paullo post necata sunt. Ut vero celerrime interficiantur, neque agonia diutiore observatio turbetur, hoc modo ago: animalis caput majore minoreve securi acutissima a truncō sejungo et filum ferreum candens per medullam spinalem extemplo perduco. Hac enim ratione omnes functiones et animales et vegetativaē subito tolluntur, antequam mortis dimicatio aliquid perturbet et deforme reddat. **Sectio statim instituitur.**

3. Sectione animalis veneni effectu mortui. Quam primis post mortem horis, omnibus cautelis adhibitis, instituo.

Jam vero, quod ad symptomata in vivo animali apparentia attinet, omnia, vel quae levissimi videntur momenti ex anatomico quodam ordine statim notantur. Quo facto id protinus ago, ut ea ad physiologiae principia explorata referam, et, quae inde sequantur, colligam. Neque infitias ibo, hanc viam non sine magnis temporis atque operae sumtibus iniri posse. Omnes enim ad veritatem accessus sunt ardui gradumque velocem spinae retardant. Praestat vero vel unum verbum, veri adhuc ignoti aut reconditi signum atque interpretem protulisse, quam sexcenties usum esse vocabulis sonantibus quidem, quin interdum sonoris, at ineptis nilque valentibus, quae quasi vasa judices idearum, nulla experientia firmatarum.

Praecepta, quae modo nobis statuimus, quoad fieri potuit, in Lactucam quoque transferre conati sumus. Quam vero quum multifariam experiremur, ta-

men, quo minus fructus uberiores, qui desiderium nostrum explerent, caperemus, temporis angustiis impediti sumus.

Ut Lactucae praeparata quam purissima accipremus, hac methodo usi sumus. Extractum secundum novissimam Pharmacopoeae borussicae editionem paratum quum liquidius sit, quam quod in pilularum formam redigi possit, in balneo arenae mediocriter calefacto inspissatum in pilulas grani unius conformandum curavi. Quas tamen primo integras adhibitas deinde ex causa infra afferenda pulvere radicis Althaeae obiter conspersi. Pilulae hac formula compositae sunt.

R) **Extr. Lactuc. viros. 3j.**

Pulv. hb. Lactuc. viros. 3ß.

m. f. l. a. pil. num. LX.

D. ad Scat.

Pilularum intrudendarum ratio haec erat. In os animalis, maxillis per socium distentis, ope cochlearis lignei, instrumento illi a Daviele nomen ducenti similis, sed aliquantulum majoris pilulae ingerebantur. Quae quum primum ad imas fauces pervenisset, specillo ansato adhibito detrudebantur. Quo facto animal per aliquot sexagesimas horae partes sustinebatur, ut videremus, num nauseosum cibum vomeret. Tum animali rursus in caveam inclusio, extemplo symptomatibus observandis me accingebam.

I. EXPERIMENTA CIRCA LACTUCAM SCA- RIOLAM INSTITUTA.

Experimentum primum.

Duae Linariae virides totidemque Loxiae pyrrhulae utriusque generis mas et femina, pullae et alacres, biduo ante experimentum in cavea vasta in cubiculo meo suspensa calore 10—15° R. observabantur. Alimentum e solito constabat pabulo et aqua destillata; excretiones alvinae plane normales. Hora quinta vespertina singulis Extracti Lactucae scariolae grana duo modo supra allato intrudebantur. Quod nisi violentia aliqua, sicut in talibus animalculis exspectandum erat, adhibita fieri potuit, praesertim quum pilulae, muco cavi oris immixtae, viscidae et glutinosae redderentur. Operatione absoluta animalcula, nimia credo vexatione fessa, quiete agunt; posthac vero alacriter et laete circumvolant, ita ut ne vestigium quidem effectus jam praesentis conspicere possent. Corporis calor nequaquam auctus. Quo permotus, sub decimam horam vespertinam eandem dosis porrexi, sed iterum mihi, ultra duodecimam horam observationem continuanti, effectu conspicuo nullo. Postridie vero hora septima matutina, quum in eadem conditione versarentur, eadem dosis reiterata est. Simul cibus iis admittus, potus permissus. Decima denique hora vivacitate manifeste imminuta sat quiete in caveae angulis consident. — Quod ambiguus pabuline inopiae, an Lactucae effectui tribuerem, pabulum iis objeci. Cujus quidem aliquantulo vescun-

tur, sed in eadem tranquillitate perseverantes, ac de se invicem et rebus externis parum vel nihil sollicitae. Sponte nullo modo moventur, nec si tangendo eas coegeris. Talis rerum conditio usque ad vesperam, qua omnis motus expertes apparent. Neque iis pabulum quaerendi cupiditas inest. Hora octava vespertina Linaria f. sine ullo convulsionum signo placide exspirat. Loxiae haud libero amplius gaudentes ingressu, vacillant leviterque in latus delabuntur. Tandem altera post horam octavam, altera hora nona et dimidia tranquille moritur. Linariam m. per noctem emortuum distortis pedibus lateri incumbentem prima luce inveni.

Cadavera haec nobis observanda tulerunt.

1. Linaria m. Musculi non nimis rigidi; sugillationes nullae. Intestina cibis faecibusque satis plena. In ventriculo non admodum rubro extracti duo fere grana supererant. In intestini tenuis duobus locis stricturae aliquot spasticae, de quarum vi ambiguus haereo. Pulmones pallidi, potius collapsi, quam nimis distenti. In saccis pleurae nihil abnorme. Cerebrum, praesertim pars ejus anterior, mirum in modum sanguine turgebat, ita ut vasis minutissimis rubre tincta appareret. Attamen major sanguinis extravasati locus mihi obviam non venit. Cerebellum et medulla spinalis a norma non recedunt, si exceperis, quod pars hujus sacralis rubore quodam sanguineo conspicua esset.

Linaria f. Corporis prorsus eadem conditio. Intestinum stricturam non exhibet. Ventriculo extracti granum fere integrum inest. Pulmones collap-

si; in saccis pleurae nihil, quod a norma abluderet. Cerebrum majore, quam in masculo, sanguinis copia refertum. Status congestivus in corporibus quadrigeminis manifestissimus. Plurimis medullae spinalis locis punctula sanguinea supra descripta, sed et hic sanguinis extravasati nullum vestigium. Ceterum, quod sit memoratu dignum non inveni.

Loxia m. Intestini nulla strictura. Ventriculus sat exsanguis. Organa uropoëtica et genitalia morbosí nihil praebent. Pulmones collapsi. Cor tamen dextrum multo sanguine atro distentum et aliquantulum prominens. Cerebrum rubore insigne; consistentia naturali submolli. Cerebellum sanguine carens potius quam abundans. Pari modo corpora quadrigemina, medulla oblongata et spinalis. Hujus in ganglio cervicali aliquantulum sanguinis extravasati detexi.

Loxia f. In universum fere eadem. Sacci vero pleurae tumentiores. In intestino tenui duae stricturae. Hepar sat magnum, sanguine scatens. Intestino recto parum faecium aquosarum inerat.

Animaleculorum musculi laete rubri. Venae atro-rubro sanguine turgidae.

In experimentis modo memoratis quum id neglexissemus, ut animalia secerneremus, quo singulorum excretiones alvinas observandi facilior fuisset copia, ad haecce pericula aggressi sumus.

Experimentum secundum.

Passerculi domestici quatuor per triduum mica panis albi et aqua destillata alebantur. Animalcula alacerrime, sed, ut fert eorum natura, sibi invicem

infestissime se gesserunt, ita ut alteri alteros morsibus vulnerarent. Quorum singulis hora octava matutina Extracti Lactucae Scariolae grana sex intrusa sunt. Ad meridiem usque alacritatem haudquaquam mittentes cibo vesci pergunt. Cognito autem, illorum societatem sezungendam esse, singulos sub singulis vasis vitreis amplis posui. Ex quibus unus hora praeterlapsa alvum subviridem satis liquidam non insigniter olenem dejecit. Reliquorum deinde excrementa aequa larga eundem quoque colorem et consistentiam praebuerunt. Usque ad vesperam vivide circumvolitant, nihil alieni prae se ferentes. Hora sexta vespertina avis supra commemorata imo vasi immota subsidet et expromta parum resistit. Neque progredi, neque recedere valet. In terra posita vacillat et in dextrum latus declinat, ita ut extrema paralysi affecta videantur. Hora octava et dimidia quum denuo recognoscerem, exanimem reperi. Eodem modo ceterae se habuerunt. Sub septimam horam in tranquillum abeuntes statum, inde a decima hora, quum quominus diutius observarem impedirer, per noctem plane a me neglectae sunt, ita ut mihi postridie mane eas revisenti omnes emortuae apparent.

In singulorum animalculorum dissectione eadem fere obviam fuerunt. Singularem rigiditatem, nisi cuique cadaveri propriam animadvertere non potui, neque signa adfuerunt, e quibus convulsiones, mortis vel praenuntias vel comites, conjicere licuit. Intestina sana; e ventriculis nondum omnia veneni vestigia evanuerant; stricturae in duobus tantum conspi-

cuae. Quibus vero diffidendum esse reor, quippe in quas apud animalia quoque captiva incidimus, naturali morte extincta. Cor dextrum et hepar sanguine atro tumidum; pulmones collapsi, turgiduli, ceterum a norma non alieni. Vasa lymphatica non insigniter turgebant. Cerebro vidi insita vascula plurima sanguine repleta; passim extravasatum, semel prope ventriculos manifestum. Cerebellum integrum, item corpora et medulla oblongata. Medulla spinalis omnino non emollita, huc illuc punctulis rubris conspersa erat. — Jam vero ut videremus, an Lactucae solutio velociorem efficaciam exhiberet, hoc modo eam parandam curavimus:

B) Aq. destill. simpl. ʒʒ

Extr. Lactuc. scariol. ʒʒ

M.

Quam sex passeribus intrusi. Eadem fere, ac priores, signa protulerunt, et vivi et mortui.

Itaque ad experimenta circa mammalia instituenda transii.

Exp. I. Hora secunda pomeridiana cuniculo praegnanti per biduum foeno arido et aqua destillata nutrito extracti ʒj immissum est. Extemplo omni effectu carere videbatur; animal enim in cavea quiete jacuit. Nec bihorio interposito ulla conditionis mutatio animadversa est. Pulsus solitos *) 120 per sexagesimam horae partem ictus non excessit; forsitan

*) Cf. Burdach die Physiologie als Erfahrungswissenschaft 4. Thl. mit Zusätzen v. J. Müller 1832. p. 251.

duriusculus exstitit; respiratio expedita; pupilla regularis.

Post quatuor inde horas respiratio accelerata. Animalis in statu tanquam ebrio versantis motus liberi quidem sed inepti. Vacillat ac saepe in dextrum latus labitur. Faeces, ut in his animalibus fieri solet, globosae et durae. Calor corporis aliquantulum auctus; oculi splendent. Idem post bihorium rerum status, nisi quod respiratio tranquillior facta esset. Hora undecima vespertina crapula ista quodammodo adaucta videbatur. Animal omni in res externas regendi facultate privatum et stupore oppressum in caveae angulo prosternitur. Respiratio lenta; calor cutis, praesertim in abdomen, eximus fere 35° aequat, quaemadmodum in praegnantibus animalibus semper obviam fit. Faeces non excernebantur. Pupilla coarctata, paullulum introrsum distorta, cereorum lucernaeque lumini oculis admoto segniter renitens. Talis fuit rerum conditio, quum nox jam proiecta observationibus meis supervenit. Hora sexta matutina exanime reperi animal. Cadaver ex omni fere parte frigidum non ultra quartam horam matutinam vitam protraxisse me edocuit.

Sectionem statim aggressi haecce comperimus. Externus animalis habitus nil mutatus. Musculi neque nimis stricti, nec laxiores. Ac primum quidem in aperiendo abdomen animum intendi in foetus quatuordecim dierum utero inclusos. Quorum quinque deprehendi, tres in dextro cornu, in sinistro duos, justa tam magnitudine quam forma. Neque in ovi membranis alieni quid occurrit. Abdomen vero li-

quoris subflavi fere semiunciam continebat glutinosi et flocculis albidis immixti. Ventriculo nonnullae adhuc inerant reliquiae pilularum materiam solutam et pici liquidae haud dissimilem exhibentium. Tunica intima aliquantulum rubens. In intestino tenui huc illuc loca violacea apparuerunt ab iis non multum diversa, qualia in cadaveribus hominum typho peremtorum ulcuseculis intestinalibus proxima inveniuntur. Omnibus quae horum locorum membranis continebantur ablutis nihil nisi ruborem sat conspicuum observare potui, ulcus vero nullum. Singulae passim stricturae mihi in conspectum veniebant, quas vero ne tantuli quidem facio, quum saepissime intestinum facces globosas et duras complectendo angustum reddatur. Hepar penitus atro sanguine refertum, volumine aductum, singulis locis tuberosum. Neque glandularum mesaraicarum plurimae tuberculis caruerunt, quo viso nequaquam perturbatus sum, haud immemor, tale quid ex animalis diurna forsan captititate oriri potuisse.

Lien mollis et marcidus; pancreas paullulum turgescere visum; nimiam tamen liquorum praesertim mucosorum in intestino tenui accumulationem animadvertere non licuit. Renes integerrimi, aequae ac vesica urinaria et organa genitalia tam interna quam externa. Pulmones collapsi parum sanguinis continentis. Cor parvum, flacidum; in pericardio liquoris aquosi dimidium fere cochlear. Cor dextrum atro sanguine coagulato refertum. Cranio aperto multum sanguinis effluebat. Neque minus membranae cerebri

abundant, quanquam ne accuratissima quidem investigatione extravasati locus deprehendi potuit.

E x p. II. Cuniculo, ut videbatur, prorsus sano, alaci jam ex triduo observato hora octava matutina grana quinque ingesta sunt. Paullo post herba laete vescitur. Post bihorium in eadem alacritate versatur. Quinque igitur grana addita sunt, nullo quidem prompto effectu. Hora interposita nauseae quid adest, colicis quoque doloribus affici videtur; animal enim expedite caveam percursitat, parietes morsu petit. Sat magnam foedi et peculiaris odoris urinae copiam mittit. Faeces non depositae. Ceterum hic status priori alacritati hora duodecima meridiana rursus cedit. Itaque dimidia hora post tertia vice quinque grana addita sunt. Sub vesperam stupor quidam oritur. Manet suo loco animal. Respiratio angustior, pupilla satis distorta. Motus quisque difficulter tentatus, rite perficitur. Faeces justam conditionem exhibent; urina largissima, lingua pura, humida. Pabulum repudiatur. In universum animal ita se gerit, ut se rebus externis affici patiatur et ebrium quasi statum prae se ferat. Certum motum, seu procedentem, seu recedentem, seu lateralem exercendi proclivitas nulla. In medio positum titubat, tum placide vel parieti caveae acclinatur vel humili recumbit. Tali modo usque ad duodecimam horam se habet. Hora quarta matutina animam agens reperi, omni resistendi facultate destitutum, convulsione omnino non correptum, languidum, ore arcte occluso. Sexta denique hora in conspectu meo exspirat. Hora nona cadaver dissecatum haec ostendit:

Cerebrum, praesertim piae matris vasa plurimo sanguine repleta. Membranae facili negotio disjungendae. Superficiei externae locis pluribus extravasatum conspicitur. In cerebello sanguis multo rarer; in cervicali medullae spinalis parte extravasata lentis fere magnitudine obvia. Pulmones collapsi. In corde nihil singulare. Ventriculi tunica mucosa modice rubra; hepar sanguine uberrimum; intestina aequa ac lien cum pancreate integra. Ipsi abdominis cavo liquoris rubecundi duo fere cochlearia minora insunt. Extremae partes non nimis rigidae.

Quae pericula similiter in tribus cuniculis repetita eadem fere nos docuerunt. Ne igitur longus sim in his denuo commemorandis, haec sufficient, quae mox allaturus sum.

I. Quanta dosi effectum suum exserat **Lactuca**, eam constantem appellari non posse animadverti, incertus tamen, utrum animalis indoli, an dispositioni abnormali illud tribuerem, quum, alteri cuniculo grana quindecim, alteri vero drachmam demum extracti letalem esse cognoverim. Variam forsan hujus portionem eo minus arguendam censemus, quo accuratius, ut eodem semper praeparato uteremur, provisum est.

II. In cuniculorum uno ventriculum in duas partes aequales constrictum et soluta demum ejus tunica musculari relaxatum vidi. Quod mihi ad **Hominis** sententiam illam quadrare videtur in strenua digestione — quam in venenis haustis semper statuendam judico — hanc constrictionem nunquam desiderari.

III. Stimulis acuum animalia tertium stadium ingressa vix movebantur.

Ex his quantuliscunque experimentis haec nobis liquere videntur:

I. Quodecumque venenum ad certum corporis systema spectare oportet. Lactuca sistema nervosum potissimum afficere videtur.

II. In quo vero cerebrum praecipue tangitur, quod hisce probari videtur:

a. Cerebrum enim sanguine plurimo refertum esse, ad unam omnes animalium sectiones ostenderunt.

b. In hoc porro symptomata me adjuvant iis proxime accendentia, quae Flourens in cerebro laeso semper sibi occurrisse contendit.

c. Cerebellum hujus affectionis expers esse ex eo concludimus, quod motus peculiares ejus vitia secundum ingeniosissimi Purkinje experimenta insequentes plane abfuerint.

III. Gastrica denique symptomata a nausea integrato veneni sapore effecta proficiscuntur.

Unde haee tria intoxicationis stadia accurate secernenda puto.

I. Stadium primum nausea, subinde doloribus colicis et statu modice excitato insigne, a quadrante horae ad bihorium continuatur.

II. Stadio secundo omnia intoxicationis signa silere videntur. Quinque ad viginti horas complectitur.

III. Stadium stuporis vel potius ebrietatis horas tres ad decem perdurans

Lactucae igitur scariolae cum **Opio** analogia cerebri potissimum affectione et peculiari ebrietate contineri videtur. In hisce vero differunt:

- I. **Opium** primo stadio in nervosas cutis functiones agit *). **Quod in Lactuca** non observavi.
 - II. **Opium** statum vere inflammatorium cerebri efficit, quum **Lactuca** congestionem tantum gignat.
 - III. **Soporis** perfecti exemplum **Lactuca** non praebuit.
 - IV. **Opii** peculiari in tubum intestinalem vi **Lactuca** prorsus caret.
-

II. EXPERIMENTA CIRCA LACTUCAM VIROSAM.

Passeri biduo ante accurate observato hora sexta vespertina **Extr. L.** v. gr. ij. ingesta sunt. Intra horam solidam nihil notabile praebuit. Itaque hora septima dosis repetita est. Status hinc non mutatus; ac nona quoque hora pabuli appetentia adhuc viget. **Decima** igitur hora gr. ij. rursus adjecta. Necdum post medium noctem effectus aliquis conspicuus. Sub quartam horam matutinam animal sensim quietius agit. **Hora quinta** fere immobile, quasi obstupefactum in caveae angulo subsidit. E loco motum, quo protruseris, eo permanet. **Pupilla regularis**, mem

*) **Vogt**, Pharmacodynamik. Th. I. §. 218.

brana nictitans paullulum demissa. Calor corporis satis aductus. Faeces parcae, virides, aquosae. Horra septima in agone versatur, ne minime quidem convulsum maxillis arcte occlusit. Post dimidiam horam exanime reperi.

Extemplo facta est sectio non admodum rigidi cadaveris. Cranii substantia porosa multo sanguine rubefacta apparuit; nec non durae et piae matris vascula turgentia; extravasatum tamen nullum. In ipsa quoque cerebri compage sanguinis copia normam excedit. Ventriculis major justo copia liquoris cruenti inest. In cerebello sanguis insigniter rarius. Pulmones languidi et collapsi. In pleurae saccis nihil abnorme. Cor contractum, multoque sanguine coagulato refertum. Qui et in vena cava deprehenditur. Stricturae duae obviae, altera in duodeno, altera in intestino tenui. Ventriculus tertiam fere partem veneni hausti continebat. Organa uropoëtica et genitalia congestionum immunia.

Aliis numerosisque experimentis in avibus factis ea quae modo reperimus in universum comprobata sunt. Quamobrem ne molesta repetitione longus sim, insignia tantum corollario comprehendere haud absolum videbatur.

Congestiones cerebrum versus in veneni ipsius indole positas existimo. Quarum autem varios gradus cadavera ostenderunt. Decem enim sectionibus nunc vasorum durae et piae matris nimiam repletionem, nunc locale in cerebri superficie extravasatum, modo substantiae griseae vasa turgentia, modo denique sanguinem in ventriculis depositum cognoscere

licuit. Quas vero gradus varietates ab ipsissima singularum animalium percipiendi facultate, quo nitatur, incerta pendere arbitror. Quam prius in animalibus feminis excellere ratus, mox errore me captum fuisse intellexi, quum in pinguissimis potissimum ceterumque sanis passeribus et linariis f. subinde nihil nisi vasorum illa turgescientia observaretur. --

Coagula sanguinis dextro cordi inclusa nunquam fere desiderabantur. — Saccos pleurae tribus casibus aëre distentos reperi, de cuius qualitate nihil habeo. Assula vero flagrans quum in eo non extingueretur, nec non carbo candere pergeret, oxygenium non abesse interpretatus sum. — Stricturae tubi intestinalis licet saepius occurribant, quam quas casui cuidam adscriberem, tamen multo minus mihi in rem facere videntur. Veneni reliquiae semper ventriculo vel duodeno inerant. Quod ad veneni dosin attinet, passeribus gr. v — vj., linariis gr. vj — viij., Loxiis gr. viij — x. immissa sunt.

E mammalibus cuniculos quatuor (unum marem, tres feminas), caviam cobayam f. duosque mures rattos m. in quibus periclitaremur, elegimus. Feminae ad unam omnes praegnantes. Cuniculi veneno maxime affecti. Extracti scrupulo duabus cuniculis f. et mari, granis viginti quatuor feminae tertiae; granis viginti duobus muribus rattis, granis denique triginta sex caviae mors parata est.

Venenum in omnibus experimentis haudquaquam praesentaneum, sed horis demum sex ad octodecim praeterlapsis prima effectus documenta edidit. Quae statu quodam inquieto, respiratione celeri et corporis

calore aducto manifestabantur. His supervenit va-
cillatio et vertigo, ita ut conditionem p[re]se ferret
erupulae spirituosis effectae haud dissimilem. Cere-
belli affecti symptomata plane abfuerunt; nec non
omnis organorum genitalium irritatio, cuius haud im-
merito cum illius functionibus connexum quendam
statuunt. — Respiratio in omnibus animalibus pe-
detentim celerior et brevior evasit, ut per sexagesi-
mam horae partem spiritum vicies triciesve solito sae-
pius repetitum ducerent. Abdominis inflatio aliquoties
observata e morbo scrophuloso potius, quam e ve-
neno originem ducere videbatur. Faecium fluidarum
in agone demum deprehenduntur secessus involunta-
rii. Animalia nunquam convulsa, saepius tamen nu-
chae et extremitatum spasmis tonicis correpta anim-
adverte.

Mortem ubique resistendi facultas amissa et sta-
tus fere soporosus praecedebat. — Et hic quoque
congestiones cerebrum versus symptoma sibi constan-
tissimum exstiterunt. Sanguis in ventriculos laterales
extravasatus semper fere conspicuus; vasorum sanguini-
ferorum et diploës repletio nunquam desiderabatur.
Pupilla dilatata, cerebri affectionibus adhuc latentibus,
bis in promtu erat; ceteroquin illas insequi solebat.
Cor dextrum nunquam non sanguine abundabat. Po-
lypos s. d. spurios ei inclusos e diurno agone or-
tos judicaverim.

Omniam illorum animalium ventriculis veneni re-
liquiae inerant. Intestinorum stricturae ter observa-
tae. — Universalis eorum inflammatio nunquam;
localis vero vestigia bis in duodeno, semel in colo

transverso, ter in colo dextro, semel in diverticulo sigmoideo.

In vena portae multum quidem sanguinis atri, sed minus unctuosi, quam post intoxicationem aliis narcoticis, praesertim acido borussico, effectam.

Inter venenum haustum et prima effectus indicia horae viginti duae ad quinquaginta quatuor intercessere.

IV. DE LACTUCA VIROSA ET SCARIOLA MEDICAMENTIS.

a. Lactucae usus in hydrope.

Salutari medicamentorum, quae cel. Stoerk in nosocomio Vindobonensi primum adhibuit, vi Collinus permotus, et ipse in hoc praxeos medicae campo versari sibi proposuit. Persuasum enim illi fuerat, vel intra Europae fines plantas officinales non desiderari, quibus exoticae pretiosissimae jure cederent. Quam sententiam sovens in primis Veterum medicinam acri oculo percensendam judicavit. Ac profecto cognovit, in tanta farragine plantarum, antiquitati usitatissimarum haud paucas inveniri, quibus, injusta oblivione pressis, suus in materia medica locus restituatur dignissimas.

Quo consilio per plures deinceps annos variarum arborum, fruticum herbarumque cortices, folia et fructus multifariam examinavit. — Qua in re eos praesertim morbos spectabat, in quibus ars salutaris medicamentorum, quae adhuc valuerunt auctoritate, agmine de-

serta, ubi novum sibi exstet praesidium, circumspiciat. Ac in hydrope quidem curando, quantopere materia medica laboret remédiorum praesentium satisque probatorum inopia, bene perspectum habuit **Collinus**. Nam **Colchicum autumnale**, cujus virtutes paullo ante Stoerk experimentis numerosis demonstraverat, licet efficax sit remedium, tamen, sicut alia medicamenta praestantissima, nec cuicunque aegro, nec quovis morbi die ob varia symptomata supervenientia convenire constat. Nec mirum, quod in hoc morbo, qui e multiplicibus diversissimisque causis ortus pro varia, quam induit, indole et diverso temperamenti, aetatis vitaeque genere variam saepe medelam requirat, antihydropicum universale statui nequeat. Quo factum est, ut **Collinus** in **Lactucam**, jam prius viribus antihydropicis notissimam, incideret. Summam vero observationum suarum in libello supra commemorato complexus est.

Initio **Collinus** **Lactucam** iis tantum propinavit, quorum morbus diuretica efficacissima e.g. **Scillam**, **Colchicum**, etc. pertinaciter aspernabatur; posthac vero quum e novo medicamento rem optime cedere vidisset, missis aliis remediis, ad **Lactucam** confugit primam. Ac sane prosperrimo cum eventu, ita ut antihydropici extractum cognomen a **Collino** ipsi tributum plerumque mereretur.

Hydropis vero diffusi, si causam respicis, speciebus primum **Lactucam** commendavit iis, quae anasarcae plerumque et ascitis formam p[re]se ferentes, cum ictero saepissime conjunctae e viscerum abdominalium proveniunt obstructionibus et indurationibus,

febris intermittentis diutissime protractae vel ineptis medicamentis s. d. arcanis repente suppressae assiduis fere comitibus. Nec est cur credas, sive recentibus tantum, sive levioribus in universum morbi casibus hanc medicinam admotam esse, sed persuasum tibi sit potius, hydropses Lactuca fugatos gravissimis et pertinacissimis accensendos esse.

Multorum ejusmodi aegrotorum conditio tam misera, ut de eorum salute plane desperari posset, hisce fere probebatur symptomatibus:

Febris intermittens nunc quotidiana, nunc tertiana, nunc quartana, nunc irregularis per plures jam menses continuata vel jam evanuerat, vel adhuc simul cum hydrope vigebat. Totum corpus fusca flavedine tinctum anasarca occupabat; facies tumidissima livebat; oculi luridi; cutis sicca; abdomen aquis plenum valde protuberabat. Nonnunquam corpus durum et circumscripsum in alterutro vel utroque hypochondrio manifeste tangebatur. Respiratio crebra, brevis, laboriosa, anhelans; pulsus frequens, celer, debilis, haud raro inaequalis, intermittens, p[re]ae tumore vix tangendus; lingua flave vel fusce tecta; ciborum appetitus nullus; sitis vehemens, alvus tarda, grisea, rarius liquida, viridescens. Urinae fuscae guttatim expressae copia per nychthemeri spatium tres ad sex uncias aquans. Aegri somno vix ullo gaudentes summaque debilitate prostrati, quum ob respirationis molestias decubitum tam supinum, quam lateralem ferre nequinent, nonnunquam trunco erecto et antrorsum incurvato in lecto sedentes inveniebantur.

Alteram Collinus^{*)} assert hydropis speciem, in qua Lactucae adest praesidium, a solidorum nimia laxitate et humorum dissolutione originem ducentem. Ubi nullum illa remedium securius, promptius et commodius efficere vidi. Hujusmodi hydrops post febres putridas in hominibus, corporis constitutione languida et debili praeditis, nec non animi curis et moerore valde exercitis frequentissime occurrit. In epidemia putrida annorum 1771, 1772 et 1773 numerosi fuere hydropici, quibus illud solum remedium auxilium tulit. Tali hydropi vulgo mox superveniebat diarrhoea adeo debilitans, ut aegrotus, dyspnoea simul admodum vexatus, quasi massa iners supine decumbens, urinam alvumque involuntariam dejiciens, mortem torpidus cxspectaret.

Primum, quod Lactuca edidit laeti effectus indicium urina mirum in modum aucta continebatur, et ita quidem, ut quae antea parcissima et guttatum expressa erat, post aliquot jam dies dilutior, pellucida et flava, vel ad sedecim libras per nychthemerum deflueret. Cui subinde jam ab initio diaphoresis largissima conjuncta erat; nonnunquam illa demum diminuta haec subsequebatur. Singulis casibus sola dia-phoresi morbus sublatus. — Mox partium tumor collapsus, respiratio levata, expectoratio facilior; somnus redibat placatus.

Pulsus nunquam citabatur. Alvi fluxus ad justum moderatus, appetitus resuscitatus.

Indurationum, si quae in visceribus abdominali-

^{*)} I. c. p. 98.

bus adfuerunt, sub finem curae ne vestigium quidem digitorum tactui prodebatur.

Extractum a Collino usurpatum jam supra commemoravimus; quo in pilularum vel pulveris formam redacto saepissime uti solebat. Nonnunquam ad diarrhoeam sistendam cum Decoc. Salep conjunctum efficacissimum se praestitit. Sunt, qui credant, Collinum, ut remedii famam tueretur, alia diuretica admisceuisse. At vir fide dignissimus de hoc con-nubio silet, etsi sub usu ipso potum crebrum non negligendum contendat. Primo, quum Lactucae vim non sat exploratam habuisse Collinus, cautissima tantum manu eam porrigebat. Mox vero, quum inde notabilem effectum non proficisci animadvertisset, dosin multo augendam esse intellexit. Ne igitur mire-ris, quod dosin initio decem per diem grana vix ae-quantem, posteriore tempore vel tres drachmas exce-dente inveneris. Quam ad varium morbi gradum moderandam censuit, et ita quidem, ut in hydrope a vitio dissolutionis et laxitatis recenter orto in minore granorum xvij., xx., xxx. per diem dosi acquiescere liceret, inveteratus autem vel cum viscerum obstruc-tionibus conjunctus majorem 3j — iij. sibi vindicaret. Si in augenda dosi pergebatur, nausea quidem mota est, levamen vero nullum allatum.

Hunc in modum adhibita Lactuca blandum sese et ventriculo amicissimum remedium praestitit, cui-que aetati conveniens. Cujus nonnulla documenta bre-viter recensere mibi licet.

Puella quaedam (v. Collini casum XVI) qua-tuor annorum post febrem intermittentem per quatuor

hebdomades protractam in hydropem anasarcam et ascitem incidit. Tumor totius corporis insignis, respiratio brevis, laboriosa; appetitus deletus, sitis multa urinae fuscae et turbidae per nychthemerum $\frac{7}{3}$ iij. mittebantur. Oxymel Colchici vomitu respuebatur. Nostrivero medicamenti $\frac{3}{3}$ per diem optime ferebatur. Postridie urinae excretio ad $1\frac{1}{2}$ libr. aucta per tres dies duravit. Extracti nunc scrupulis quatuor porrectis lotii copia ad 8 libras quotidie missas crevit, cutanea simul secretione laete procedente. Quatuor post hebdomadibus, hydrope plane sublato, aegrotula sana dismissa est.

Pari successu Lactuca iu vetula quadam 74 annorum gavisa est. (Cas. XXIV.) Hydrope anasarea et ascite, febris intermittentis residuis, jam per duos menses affecta in nosocomium recepta est. Extrema frigebant, cutis arida, respiratio difficillima, pulsus ob tumorem non tangendus. Diarrhoea aegrotae debilissimae vires exhauriebat. Urinae e fusco nigrae e quinque jam septimanis guttatum expressae vix $\frac{7}{3}$ iij nychthemeris spatio mittebantur; lingua pallida, appetitus nullus. Extracti $\frac{7}{3}$ iij in Decoct. rad. Salep. jam insequente die alvum rariorem pultaceam effecerunt. Urinae fuscae $2\frac{1}{2}$ libr. missae; continuae mingendi molestiae. Diuresis in dies largior facta, ita ut librae iv, vi, xii ad xxiii quotidie excernerentur cum summo reliquorum symptomatum levamine. Post duos menses, valetudine recuperata, nosocomium reliquit.

Contra extractum nil prodesse cognovit Collinus, »si spissitudo humorum inflammatoria neglectis

diu remediis antiphlogisticis viscerum obstructions et hydropem produxit, vel illum comitatur. »

Quin idem, quantum ex nonnullis observationibus colligi potuit, pertinaci usu nocere posse judicavit.

Nonnunquam hydropis decursus novo febris intermittentis paroxysmo interpellabatur. Tunc Lactuca interim seposita illam Cortice Peruviano fugare studuit. Quo facto ad Extractum rursus refugit.

Plurimus aegrotorum numerus sub finem curae tam bona virium conditione gavisus est, ut Collinus roborantibus medicamentis supersedere posset. Debita enim diaeta et Extracti usu diutius continuato corpus securius vidi roborari, quam usu remediorum adstringentium, quibus non radicitus forte sublatas viscerum obstructions denuo saepe auctas observavit.

Qui post Collinum Lactuca virosa et scariola in anasarcam et ascitem utebantur, non una voce earum laudes praedicant.

Stoll *) ut Lactucae virosae virtutes medicas agnoscit, ita Squillae substitui posse negat, addens hanc in vias uriniferas specifice agere, illam vero solum solvendo obstructa.

Josephus de Plenciz **), cui mens fuit, in hydropico quodam tentandi, num Collini medicamen-

*) Max. Stoll, Praelectiones in diversos morbos chronicos. Vindob. 1780 p. 70.

**) Jos. de Plenciz, acta et observata medica, Pragae et Viennae. 1783. p. 107.

tum efficaciam suam, uti ipse auctor adfirmsat, in parte sua salina, an potius in illo volatili, viroso et odore opio simillimo principio contineret, ipsi exhibuit conservam herbae recentis, sed sine effectu, quum contra extractum ejusdem plantae cito efficaciam suam proderet.

A Quarin^{*)} Lactucam virosam saepe in hydrope frustra propinatam queritur, qui ei laudes tribuant, eos **Squillae** magnam dosin admiscuisse asserens.

Toël^{**) et Comte}^{***} et ipsi Extr. **Lactuc.** viros. cum **Digitali** conjunctum in ascite parum valuisse testantur.

Non video, quid sibi voluerit **Collinus**, iis tantum hydropis speciebus, de quibus supra locuti sumus, Lactucam convenire affirmans. Ac certe quidem cum illo facimus, in hydrope inflammatorio **Lactucae** adhibendae locum esse negante. Verum eam ut narcoticum frigidum quodam vasorum sanguiferorum erethismo non modo non vetari, sed potius requiri volumus. At suae ipsius experientiae **Collinus** repugnare videtur, quum inter hydropis casus ab ipso relatós nonnulli inveniantur (cf. cas. II., XIV. et al.) ad spasticum s. ereticum potius quam ad atonicum reseundi. Illa sane rarius in ascite, nunquam non in hydrothorace et hydrope pericardii occurrit. Ne vero in opinionem adducaris, tibi saepe tam felici esse contingere,

^{*)} A Quarin, Animadversiones practicae p. 188.

<sup>**) Horn, Arch. f. medizin. Erfahrung. Jahrg. 1824.
1r Bd. p. 370.</sup>

^{***) Neue Samml. auserl. Abhandlgn. B. 7. p. 314.}

ut morbos hos atrocissimos Lactuca penitus extermines. De hoc nemo cogitabit, nisi qui, quam variae exstant illorum causae, toties vitiis pulmonum cordisve organicis inherentes, ignoret. Satis gloriae remedio tuo paraveris, si in eo acquiescas, ut dyspnœa vel orthopnoea quam citissime remotis, imminenti suffocationi aegrotum eripias.

Toël*) in hydrothorace, remediis alias efficacissimis incassum adhibitis, Extr. Lactucae virosae cum Digitali conjunctae saluberrimas vires cognovit.

Formula erat haecce:

R) **Herb. Digital. purpur. gr. j.**
Extr. Lactuc. viros. gr. ij — iv.
Sach. alb. 3j.

M. f. dos. XII D. S. Omni bi-vel trihorio pulvis sumendus.

Quas etsi Lactucae soli tribuere non liceat, tamen Toël incommoda, quae saepe post Digitalis usum in sistema nervosum et vegetativum prodire solent, hac nonnisi temperatione tolli, post paucas jam doses diureticam hujus vim manifeste augeri, cutis transpirationem insignius promoveri, erethismum denique organorum respirationis celerius sedari expertus est. In hominibus torpidis purgans ex Calomelane et Jalappa, quo illarum effectus acceleraretur, praemittendum curavit.

Malignissimis sane hydrothoracis speciebus ea adnumeranda est, quam, ex aucta vasorum exhalan-

*) I. c.

tium actione ortam, febris scarlatina haud raro excipit. Cui spastica indole prae omnibus insignito, Toël, aliis medicamentis plane nihil valentibus, medicina ex Digitali, Calomelane et Lactuca virosa composita pluries medebatur.

Brosius *) ex duodecim aegrotis, morbo jam inveterato affectis, eadem medicina duos in integrum valetudinem restituit; duobus nihil profuit; ceteris vero dyspnoeae vel orthopnoeae tam eximum fuit lenimentum, ut per plures saepe hebdomades placatissima gauderent conditione. Exemplum refert auctor, ubi quinques per biennium hydrothoracem manifestissimum sustulit.

G. A. Richter **) Extracto Lact. viros. cum Digitali saepissime felicissimo cum eventu se usum esse narrat.

His morbi, cuius observandi in Instituto polyclinico ab Ill. Hufeland et Cel. Osann moderato mihi copia fuit, historiunculam adjicere liceat. G. femina 58 annos nata, habitu plethorico, temperamento choleric, a teneris inde sat bona valetudine viguisse contendit. Catameniorum fluxum decimo tertio aetatis suae anno intrantem congestiones caput versus et epistaxis praecedebant, nonnunquam tam vehementes, ut venaesectio institui deberet. Menstruis semper legitimis quadragesimo quinto anno cessantibus, aegra paullo post molimina haemorrhoidalia sensit, certum prodeundi typum non sequentia et post paucos dies

*) Hufeland's Journ. Bd. I. Hft. 4. p. 104.

**) Ausf. Arzneimittellehre. Berl. 1827. Bd. 2. p. 605.

rursus disparentia. Quae cum euphoria quadam per duodecim annos tolerabat. Mense Aprilis anni praeterlapsi, quum tempestati humidae frigidoque aëris afflatui se exposuisset, illis molestiis repente suppressis, insultu Asthmatis vehementissimo correpta est. Venaesectio aegrae tantum levaminis afferebat, ut post hebdomadem praeterlapsam denuo negotia aggrederetur. Remansit vero respiratio brevis, corporis quoque motu vehementiore intercepta aequa ac tussis, qua multa sputa mucosa ejiciebantur.

Die 20. Nov. iterum, refrigerio consito, Asthmatis insultus aegram invasit. Arcessitus in magno suffocationis discrimine versantem eam inveni: Facie admodum rubente, trunco prono in lecto sedet; respiratio brevis, valde laboriosa. Tussis vehemens, quaue inspiratione excitata, sputa puriformia copiosissima et solutu facillima profert. Pulsus aliquantum plenus, durus, non acceleratus. Aegra verbis abruptis de dolore queritur, totum sibi pectus constringente. Lingua muco subflavo leviter tecta, sapor amarus, ciborum appetitus nullus, sitis magna, alvus ex triduo adstricta; urina parca, pallida. — Venaesectio 3xvj instituta, interne purgans salinum porrectum.

D. 21. Nov. Conditio aegrotae multo melior. Asthma paullo post sanguinem detractum adeo mitigatum est, ut insequente nocte aegra per tres horas somno tussi solum interrupto gauderet. Materiae puriformis ejectae eadem copia. Alvum ter faeculentam depositit.

Sensim appetitus reviviscit, somnus diuturnior; respiratio brevis quidem, nec situ impedita ullo. Per-

durat tussis aegram admodum vexans. Sputorum eadem conditio. Urinae pellucidae pallidae justa copia, alvus regularis. Sumit aegra:

R³ **Extr. Dulcamarae** 3j

— **Millefol.** 3ij.

Aq. commun. 3vj.

— **Laurocer.** 3j.

Tart. emet. gr. β.

Succ. liquir. 3β.

MDS. **Omni bihorio cochlear majus.**

Pro potu ordinario Speciebus pectoralibus Ph. P. utitur.

Talis rerum status ad medium usque Decembrem continuabatur, quo aegrae prima febris hecticae signa supervenere. Respiratio brevis manet. Tussis vero adaucta et post cibum quemlibet potumve sumtum provocata sputa supra descripta facile promovet. Urina parum sedimenti puriformis deponens dimidio minore copia, quam prius, excernitur. — Dextro brachio vesicatorium perpetuum e Cort. Daphnis Mezerei applicatum.

D. 21. Dec. sub meridiem aegram febricitantem inveni, genis circumscripte rubentibus, palmis sudantibus. Manus dextra nec non genitalia externa aliquantulum tument. Urina flava, pellucida, largo sedimento puriformi. Reliqua symptomata haud mutata. — Pulv. hb. Digital. gr. β ter per diem porrectum. Neque hac, neque duplicata dosi ullum levamen efficiebatur. Post decem dies quum aegra pulverem re-

spueret, Infusum hb. Digital. e 3j paratum cum Spir.
Nitri dulcis 3f praescriptum.

D. 2. Jan. Hydrops admodum crevit. Tument facies, manus, pedes; abdomen sat molle quidem, manifestissimam tamen fluctuationem praebet; spirandi difficultas summa, maxime quum supina cubaret. Urina, non obstante Digitalis usu, prodibat pauca fusca, turbida, sedimentum jam notatum gerens; pulsus frequens, duriusculus, parvus. Dosis Digitalis ad 3f aucta.

D. 3. Jan. Aegra per noctem valde irrequietam in lecto sedit, vehementi orthopnoea affecta. Et mane quoque difficillime spiritum dicit, dextrum praeципue pectoris latus quasi pondere sibi comprimi con questa. Dextra manus insigniter tumet; ascites non adauctus; pulsus minus frequens, ceterum idem. Urinae ejusdem notae duplex hesternae quantitas.

D. 4. Jan. Orthopnoea ingravescit, ita ut manibus sellae proximae adpressis laboriose spiret. Capitis gravitatem et vertiginem accusat. Pulsus tardus (45 ictus in horae sexagesima parte perficiens), post decimum quemque ictum intermittens. Quae symptoma Digitalis usu effecta judicans, suadente Cel. Osann, hanc medicinam praescripsi:

R) **Extr. Lactuc. viros.**

— **Hyoscyami.**

Pulv. Herb. Hyosc. aa. 3f.

M. f. pilulae num. XLV.

DS. ter quotidie pilula sumatur.

D. 6. Jan. Orthopnoea continua. In dextra thoracis parte, ceterum non elata, dolores punctorii vagantes. Abdominis moles paulo adaucta; fluctuatio percipitur. Manus dextra multo sinistra tumidior. Pulsus 55 per h. m. ictuum, non amplius intermit-tens, urinae eadem ac here copia. — Pilulae quatuor.

D. 7. Jan. Paulo melior aegrae conditio. Diffi-culter quidem, sed capite in pulvinar reclinato, spiri-tum dicit. Tussis perseverat. Sputa eadem. Dolores pectoris minuti. Pulsus ut pridie. Idem partium tumor. Urina aliquantulum copiosior. — Eadem pi-lularum dosis. — Sub vesperam inconsuetam hilarita-tem prodit aegra. Expeditior ei procedit respiratio, ut vel in dextrum latus decubitu non insigniter im-pediatur. Tussis aliquanto rarer. Urina per diem missa duplarem hesternae copiam excedit.

D. 8. Jan. Perbene se habet. Somno enim quinque horarum tussi parum interrupto non medio-criter restauratam se sentit. Quemque situm fert. Tussis quoque vehementia mitigata. Manus et abdo-men admodum detumuerunt. Cibos appetit. Pulsus idem. — Urina flava, turbida, sedimentum continens puriforme largissimum, tria vasa majora explens. — Pilulae quinque.

D. 9. Jan. Dyspnoeae nullum fere vestigium. Madet cutis adhuc sicca. Urinae ejusdem qualitatis duplex fere hesternae copia.

Laetior in dies rerum mutatio observatur. Respirationis omnes molestiae absunt. Urina per diem excreta quinque vasa non excedit; a **D. XVIII. Jan.** ad justam copiam moderata. Inest ei parum illius

sedimenti. — Alternis diebus una pilula addebatur, et ita quidem, ut ad decem ascenderetur. Neque hac dosi aegrae incommodi quid paratum. Tum, hydrope omnino sublato, pari modo in dosi diminuenda agebatur. — Vires aegrae diaeta roborante adeo firmatae, ut a **D. I.** Febr. in cubiculo ambulare inciperet. Superstes tantum tussis sat vehemens. Nec sputorum copiosorum qualitas mutata.

D. 24. Febr. fenestra aperta quum aëri perflanti sese exponeret, sub vesperam insultum Asthmatis leviorem perpessa est, bihorium perdurantem. Sed bido post pedes et abdomen tumescunt, postridie dyspnoea accedit. Pilulis Extracti Lactucae virosae (gr. x. per diem) in usum vocatis post hebdomadem hydrops evanuit. Inde ab hoc tempore conditio aegrae tam emendata est, ut **D. VI.** ante Cal. April. dimissa, tussicula tantum vexata ad negotia domestica redire posset.

Pari fortuna in eodem policlinico alias hydrothoracis casus curatus est.

b) **Lactucae usus in Angina pectoris,
Asthmate, Palpitatione cordis.**

Schlesinger^{*)} sex morborum historias memoriae tradidit, qui, licet non ex omni parte Anginae pectoris denominatio in eos cadere videatur, medicaminis summam praestantiam novis documentis confirmant. Dirissimis enim morbi symptomatibus, mor-

tem suffocatoriam minantibus mirificum attulit lenimentum. Aegrotus, cuius prima historia memorat, in ipso insultu e lecto prosiliens fenestram petiit, ubi liberam animam quaereret. Alius casus cum hydrothorace conjunctus erat. Extracti Lact. viros. gr. ij. Hb. digital. gr. β addidit. Semper quatuor sexve dosibus tam prospere rem cedere vidiit, ut proximus insultus vel minore vehementia conspienus esset, vel plane sileret. Diuresis larga, diaphoresis modica observabatur.— Uno in casu, quum prima jam pulveris dosi aegroto nausea cieretur, tincturam hoc modo parandam curavit:

R^o Fol. Lact. viros. 3j.

Macid. 3j.

Concis. minut. et add.

Alcohol. vini

Aq. destill. aa. 3jv.

M. dig. p. aliquot dies, exprim. et filtr.

S. omni horae dimid. 15 guttae sumantur.

Ipse affirmat auctor, pharmacopolem, quum *Lactuca virosa* non in promptu esset, *L. scariolam* adhibuisse. Nec efficaciam minorem inde proficisci vidiit.

In Astmate magnum sperandum esse a *Lactuca* adjumentum, ex iis, quae supra attulimus, liquet. Sed probe dignoscas, in Astmate praesertim mere dynamico, quemadmodum ex affectionum animi intemperie

originem ducat, princeps et heroicum remedium, quod **Opio** substituatur, dignissimum, in **Lactuca** inveniri. **Rarissime** vero haec morbi species occurrit. Qui enim diversissimas causas agnoscens quum saepissime symptoma tantum aliorum morborum, vel in organis respirationis, vel in abdomen haerentium observetur, tum **Lactucae** nonnisi palliativi medicamenti vis eximia inerit. **Wolff Varsoviensis** *) bis sibi in Asthmate ex arthritide retrograda orto opem tulisse refert **Extr. Lact. viros.** in pulveris vel pilularum formam redactum, quarum praecipue cum Guajaco, Camphora et **Oleo Sassafr.** compositionem laudat.

Eadem experti sunt **Gumprecht** **) (Extr. **Lactuc. viros.** gr.j. c. Morphii acet. gr. $\frac{1}{8}$ omni bihorio vel trihorio), **Richter** ***) et **Toël** †).

Medicus quidam **Petropolitanus** ‡) palpitationem cordis vehementissimam, per plures annos statim tempore cum catameniis redeuntem et quodecunque antispasmodicum aspernantem quatuor granorum dosi bipartita ex toto cedere vidit.

Toël in morbis quoque organicis cordis suam medicinam saluberrimam praedicat. Insultus dys-

*) **Hufel.** Journ. Bd. 30. 1, 115.

) **Harless n. Jahrb. Bd. 4, St. 1. p. 205.

***) **Richter** Spez. Therapie Bd. 11, S. 355, — Ausführl. Arzneimittellehre Bd. 2. p. 606.

†) l. l.

‡) **Vermischte Abhandlungen aus dem Gebiete der Heilkunde,** herausg. von den Petersburger Aerzten 1ste Samml. p. 228. Vgl. Rust Magazin Bd. 10. p. 358.

pnoeae ea minuti, transitus in hydrothoracem retardatus, vita miserrima sustentata.

c) **Lactucae usus in tussi convulsiva.**

Ex ipsa remedii indole patet, tum modo salutem allaturum exspectari posse, quum, stadio catarrhali superato, morbus in stadium mere convulsivum transfererit. Quid? quod non solum narcoticorum agmen hic commendatum vi aequiparet, sed etiam multis numeris superet. Quae enim jure illis vitio datur narcosis infantili, de qua hic potissimum agitur, aetati infestissima, in Lactucam non cadit. Quamobrem non nimis caute in ea porrigenda agere licet.

Gumprecht*) qui spastica quadam diaphragmatis affectione et nervi vagi phrenique perversa sensibilitate morbi focum contineri vult, Lactucae virosae prae ceteris narcoticis palmam desert. Nec absonum ei videtur, si eximius, qui procul dubio systemati cutaneo cum organis respirationis et visceribus uropoëticis intercedit antagonismus respiciatur, dia-phoresi et diuresi aducta illorum nervorum sensibilitatis alterationem effici. — Extractum pulveris forma a gr. $\frac{1}{3}$ — β cum Saccharo lactis omni bihorio dedit. Tussis inde rarer multoque mitior, anxietas

*) Hufeland Journ. B. 39. 4, p. 109. — Medical chirurgical transactions Vol. VI. p. 608. — Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für praktische Aerzte Bd. 26, S. 82.

minuta, constrictio cirea regionem epigastricam sedata, sputa facillime soluta, urina copiose missa.

Chaufepié, Hempel et Jacobson *), medici Hamburgenses, cum successu admodum felici multos per annos se **Lactucam** usurpasse perhibent.

Osann **) Extractum **Lactucae scariolae** methodo **Schuetziana** paratum in duobus infantibus 4 et 6 annorum adhibuit. Eorum major, quum granum per diem parum proficeret, duplicatam dosin et manifestissimo quidem cum fructu sumsit. Tussis enim per plures jam hebdomades protracta, nec mediocrem vehementiam nacta, utrique intra decem dies adeo moderata est, ut brevi roborantium usu sanatio perficeretur. Non aeque bonus eventus neque usu **Lactucarii Anglici** e **Lactuca sativa**, neque Extracti **Lactucae virosae** et **scariolae** eadem methodo in **Germania** parati in conspectum venit, quum inter sex infantes aliis quidem affectiones spasticas levarent, aliis vero, vel valida dosi adhibita, nihil fere prodessent.

Krukenberg **), licet remediorum antispasmodicorum in curanda tussi convulsiva parum certum effectum accusans, tamen **Lactucae virosae** meritas laudes non denegat. Qua enim, aliis narcoticis missis non solum tussis accessiones mitiores et rariores reddi, sed quandoque etiam morbi decursum praecidi

*) ib. p. 83.

**) Jahresbericht des Königl. Poliklinischen Instituts der Universität zu Berlin von 1820 — 22. p. 19.

***) Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle herausg. v. P. Krukenberg. Halle 1824. p. 238.

observavit. Tenellis infantibus grani quadrantem aliquoties de die porrexit, dosi quotidiana sensim ad gr. ij — iij adiuncta. Infans annum et dimidium agens quatuor quoque grana sine ullo incommodo tulit.

Haugk *) in epidemia tussis convulsivae quum omnia s. d. specifica futilia se praestitissent, Extratum Lactucae virosae cum Calomelane et Ipecacuanha conjunctum salutiferum testatur.

Nec minus equidem duabus puellis, alteri 6, alteri 7 annorum, sputis emetico elicitis, Extr. Lactuc. virosi. (dosi gr. β sexies de die) cum Saccharo Lactis morbum per mensem integrum productum, intra sex dies sublatum expertus sum.

Ac de his quidem hactenus. Quodsi igitur ea, quae adhuc de Lactuca virosa et scariola experti sumus nobiscum reputaverimus, haec fere inde colligemus:

- 1) **Duplex** iis inest vis: altera, ex indole narcotica profecta et primaria, sedans, anodyna, antispasmodica — altera et secundaria ad systema vegetativum spectans, resolvens, diuretica; ita ut medium quoddam inter narcotica pura, et acria tenere videantur.
- 2) **Narcoticum** principium admodum volatile, in recenti succo lacteo integerrimum, prout hic

*) Neue Zeitschrift für Natur und Heilkunde, herausg. von den Professoren der chirurg. mediz. Academie zu Dresden — Dresd 1830. Bd. 1. p. 430.

chemico aliquo modo seu coquendo, seu colando mutetur, abolescit.

- 3) **Lactuca virosa** ob majorem, quae ei inest succi lactei copiam vi narcotica **L. scariolam** superat.
 - 4) In hac vero vis resolvens major, quam in primis **Collini** observationes supra laudatae testantur. Summopere dolendum, quod hic effectus nostris diebus omnino in oblivionem adductus sit.
 - 5) Quodsi igitur medicamina nostra contra illos pectoris morbos erethismum insigniter manifestantes efficacissima probata sint, arctioribus tantum finibus eorum usus circumscriptus esse videtur nec quidquam obstare existimo, quo minus et iis in universum morbis, in quibus aut sistema nervosum nimiam prae se ferat sensibilitatem aut eadem ex causa systematis irritativi adsit erethismus; nimirum toto illi affectionum spasticarum et dolorificarum censi, ut nonnullas modo dicam, tussi vehementi siccae phthisicorum, cardialgiae, vomitui spastico, colicae hepaticae (**Durande**), spasmis vesicae urinariae, hypochondriasi etc. egregie couenant.
-

V I T A.

Natus sum ego **Henricus Hirschfeld** patre optimo **Ludovico**, quem mihi fato erectum lugeo, matre carissima **Augusta e gente Gabrielli**, qua superstite gaudeo, **Glogaviae, Silesiae inferioris oppido** anno nostri seculi octavo, fidei veteri addictus. Prima literarum rudimenta in ipsa patria urbe edoctum, avunculus benignissimus **Mauritius Gabrielli**, mercator **Vratislaviensis**, in domum suam recepit paternoque animo summis accumulavit beneficiis. Inde per septem annos in **Gymnasio Magdalenaeo** studiis, quae literis academicis viam sternunt, vacavi; ubi praceptoribus usus sum eruditione et exemplo praestantissimis, **Beato Mansone Gymnasii Directore**, elegantia studiorum clarissimo, **Doct. Kluge**, cuius auspiciis nunc illud floret, **Beat. Wellauer**, praematura morte literis erepto; **Doctissimo Klossmann**, perennem antiquitatis fontem mihi aperiente; **Ill. Glocker** aliisque, quorum memoriam nullum tempus delebit. Testimonio maturitatis instructus anno **MDCCCXXVII** ab **Ill. Schulz t. t. Rectore magnifico**, civibus Universatis literariae **Vratislaviensis** et ab **Ill. Purkinje**, facultatis decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Per triennium clarissimorum virorum his scholis interfui: **Ill. Passow de Aristophanis Acharnensibus, Theocriti Idyllis**; **Ill. Schneider de Platonis Civitate**; **Ill. Wachler de Historia universalis, et civilis et literaria**; **Ill. Brani s de Logica**; **Ill. Trevirani de Botanica plantarumque Physiologia**; **Ill. Goeppert de officinarum plantis, de chemico Formulari**, **Ill. Glocker de Mineralogia**; **Ill. Steffens de Physica**; **Ill. Fischer de Chemia et anorganica et organica**, quam universalis, tum pharmaceutica, de mineralibus fontibus, de Reagentibus; **Ill. Frankenheim de Physica**

experimentalis, Ill. Otto de anatomia et humana et animali tum physiologica tum pathologica; Ill. Purkinje de Physiologia et Pathologia, Ill. Wendt de Materia medica, de Therapia speciali; Ill. Remer patris de Therapia speciali, Cel. Hemprich de temperamentis. Nec non clinicum medicum ab Ill. Remer moderatum frequentavi.

Mense deinde Aprili anni MDCCCXXXI Universitatem literariam Berolinensem adii, ubi ab Ill. Boeckh t. t. Rectore magnifico, ab Ill. Fr. Hufeland t. t. medicorum decano maxime spectabili, in civium academicorum numerum receptus sum. Hac in alma literarum sede scholis clinicis interfui Perill. Hufeland, Ill. Osann, cujus in me benevolentiae semper memor ero, Ill. Busse, Barez, Bartels, Busch, a Graefe, Rust, Wolff.

Quibus praceptoribus, viris illustrissimis, doctissimis gratias quas habeo maximas refiero. Jam vero rite tentatus et examinatus, dissertatione thesibusque defensis, spero, fore ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

- I. *Non sunt peculiares oculorum morbi.*
 - II. *Lactuca virosa multis in morbis Opio praeferenda.*
 - III. *In Mania venaesectiones plerumque nocent.*
 - IV. *In Diabete mellito mel chemice efficitur.*
 - V. *Sectioni forensi jurisconsultum adesse non oportet.*
-